



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 20. Gregorii XIII. Papæ obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. Huic epistolæ finem imposuit
 A.C. 1585 hac subscriptione: *Ego Bartholomæus, facie in terram projecta ad sacros pedes provolutus. Ceterum fertur, (*) quod tunc, dum hæ literæ prælegebantur, præter Cardinales ipse Gregorius summus Pontifex, hocce Legatos amplexu veneratus, cum sancto sene Simeone exclamaverit: nunc dimittis Domine servum tuum in pace &c.*

§. XX.

Gregorii XIII. Papæ obitus.

Ciac. l. c. *Pittorel. l. c.* *Sacchin. hist.* *Soc. p. 5.* *l. 5. p. 228.* Enimvero benignum Numen brevi pil hujus Pontificis vota exaudiebat; quippe die septima Aprilis, in quam dies Dominica inciderat, seorsim perfecta re divina, cum insuper solemnî Missæ Sacrificio in Sacello sancti Sixti interesse vellet, atque altera die Purpuratorum Senatû haberet, ibidemque Signaturæ diem ad nonam Aprilis indiceret, paulo tardius feria quarta decima ejusdem Mensis die e lecto surgebat, atque unacum sancti Sixti Cardinale, & Jacobo Boncompagno Nepotibus suis aliquamdiu in suo cubili deambulabat, cumque jentaculum sine cibi

(*) Id narratur a Muccantio, qui tum præfens omnia ipse viderat: idem etiam testatur Stephanus Tuccius in funebri illius oratione.

cibi fastidio fumeret, ejus Nepotes Patru sui morbum periculo vacare arbitrati eum valere jussum dimittebant: verum paucis post horis ejus cubicularius illum pallido vultu, animique deliquio correptum repererat, quapropter Medicos protinus adesse jussit, a quibus Papa sibi vix duas vitæ horas superesse admonitus respondit: *haud amplius vacat de negotiis hujus sæculi cogitare: ergo afferte mihi meum Crucifixum Jesum, ut unice cum eo animum meum occupem.* Prolatis hæc verbis sæpius sese Crucis signo muniens animam suam Deo commendabat, atque in ardentissimas preces sese effundebat, postea sacro equidem Viatico corroborari postulabat: quod tamen cum Medicorum judicio sumere haud posset, extrema duntaxat unctione delibutus mox feria quarta die decima Aprilis animam Deo reddidit, postquam octoginta tres annos cum tribus Mensibus vixerat, ac Divi Petri Cathedram duodecim annis, decem Mensibus, & viginti octo diebus gubernaverat. Corpus ejus per octo dies expositum postea in magnifico Sacello Gregoriano, quod ipse Romæ in Vaticana Divi Petri Ecclesia exstrui curabat, terræ mandatum est.

Ceterum Gregorius XIII. in vita sua quamplurimas virtutes summo Pontifice

Sæcul. XVI.

A.C. 1585.

Sæcul. XVI
A.C. 1585.

fice dignas felicissimo nexu copulabat, perennique elogio ejusdem pietas, ac prudentia celebrabitur: erat enim aliunde suavis, ac moderatæ indolis, victu, ac potu temperatissimus: in pauperes vero, & doctos beneficus, & mirum in modum liberalis: non desunt tamen, qui eidem vitio vertunt, quod erga sibi sanguine junctos nimium indulgens, atque in reprimendis, ac plectendis criminibus parum severus fuerit, præcipue erga proscriptos, qui eo regnante per Campaniam Romanam impune grassabantur, atque etiam plena diei luce usque ad Romanæ Urbis portas suam rabiem extendere non erubescabant.

§. XXI.

Cardinales Conclave ingressi pro eligendo novo Pontifice.

Titan. l. 82.
Spond. hoc
ann. n. 14.

Die vigesima prima Aprilis, in quam hoc anno Paschatis festum inciderat, Cardinales numero quadraginta duo Conclave ingrediebantur, quos Marcus Antonius Muretus eloquentissima oratione hortabatur, ut Ecclesiæ tale præficerent Caput, quod simul Pii V. probitatem, & Gregorii XIII. nuperrime defuncti prudentiam æquaret: priusquam vero Cardinales ad novi Pontificis electionem procederent,
una-